

S. CANVTVS REX DANIAE.



Sanctus Kanutus ex serenissima Danorum regum familia prognatus, à teneris annis uirtutibus operam dedit, atq; tandem omnium consensu rex electus fuit. In ea dignitate existens suos subditos instar fratres dilexit, atq; omnibus benefacere studuit. In primis autem religionem propagare, atque ecclesias multis priuilegijs & prouentibus exornare uoluit. Cum etiam sua potentia fretus hostes superare, ac fines regni producere potuisset, maluit clementia & pietate eos uincere, atque pacem undique prius labefactatam, sua bonitate stabilire. Ut autem is uirtute praeditos liberaliter prosequebatur, ita impios & sceleratos homines graui ter puniebat. Itaque illi tandem seditionem concitarunt, atque Blaccone duce arma contra pium regem mouerunt, anno Christi 1140.